

8. 23

DISPV TATIO V.  
**DE PECCATO**  
ORIGINIS,

*Quod, auspice Christo,*

PRAESIDE DANIELE HOF-  
MANNO D. M. HENRICVS BOE-  
thius Hebrææ linguæ professor,  
responsurus pro consequenda  
licentia in Theologia

Probabit esse Accidens vitium,  
22. Martij.

A° 1586.



Helmstadij Excusa per Iacobum Lucium.



8



DE PEGGATO

DISPUTATIO V.  
DE PECCATO ORIGINIS,  
Et quidem  
AFFIRMATIVA  
Quòd sit accidens vitium.

I.

 *Vatuor disputationibus D E I beneficio defen-  
dimus negatiuam: peccatum originis non esse  
substantiam, seu rem per se subsistentem.*

II. *Nunc de eodem peccato disertè affirma-  
mus, quòd sit accidens vitium.*

III. *Accidens Græcè συμβεβηκός, Hebr. טוֹב vel טוֹבָה non tantum de contingente quodam, sed etiam de opposito  
substantiæ in δικτοπλια. Philosophorum summa accipitur,  
quod posterius significatum hic potissimum respicimus.*

III. *Diuisionem enim vniuersi in substantiam & acci-  
dens negamus sacris literis aduersam, agnoscimus autem  
ijsdem consentaneam.*

V. *Perlustranti enim summa, qua possit diligentia, ome-  
nia, nihil offertur, quod neutrum sit istorum, & tertium  
quiddam monstrat certoq; probet.*

VI. *Ac si veritas non experiretur Neutrales, homines  
scilicet nullus certi generis, istorum generum certa suffici-  
entia minus vocaretur in dubium.*

VII. *Quicquid autem isti somnient, expedita est hoc  
loco doctrina, cum Flacius, cuius Manichaicum dogma im-*

A 2.

pugna.

pugnamus, eam recipiat. Duo, inquit, tantum sunt in homine, Accidentia & Substantia. 2. parte clavis pag. 488  
VIII. Idem statuit alterutrum horum genus necessariò peccato tribuendum. Nulla, inquit, sunt nunc quidem (præsertim in scholis ac inter literatos, quibus ista solis scribuntur) verba magis nota aptaque in describenda definiendaque rerum aliquarum natura quam si dicas, ea esse vel accidens vel substantiam vel essentiam quandam. Quas voces, si de illis definitis neges esse dicendas, eisùe triguendas, tum lectorem necessario in cæca quadam obscuritate dubitatione relinquas, ut ignoret, quid propriè sit, aut non sit, de quo definiendo agitur. Demonstrat. pag. 321.

IX. Addimus testes ex veteribus Theologis grauiissimos, Sic enim Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 4. In rebus creatis & mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur.

X. Cyrillus lib. II. Thesauri cap. I. Si quid non est accidens, necessariò erit substantia.

XI. Imperito sane vulgo scholasticas voces, quas non intelligunt, proponi importunum ducimus, & quemadmodum Paulus I. Cor. 14. loquitur, barbarum.

XII. Sed hinc decernere, ne retineatur in Ecclesia hæc phrasis: Peccatum originis est accidens, non secus stolidum ducimus, ac si quis latinam linguam vetet pastoribus, quod auditores rustici eam non intelligent.

XIII. Est autem accidens, quod adesse & abesse potest, sine subjecti corruptione vel interitu.

XIII.

XIII. Quod adest & abest, manifestò agnoscitur aliud quiddam quam subiectum, in quo est, vel à quo abest.

XV. Cumq; accidens, quod non est nihil negatiuum, non annihilet subiectum, in quo est, et si ab eodem etiam absit, id quod definitio negatione corruptionis indicat, frustà hic offenduntur ignorantès vim vocum.

XVI. Liquet etiam multa accidentia esse subiectorum corruptiones, quæ tamen nisi subiecto superstite non essent, ut has excludi definitione, vanus sit metus.

XVII. Subijcimus tamen & hanc definitionem. Accidens est, quod non est substantia, neq; pars substantiæ, sed in alio est mutabiliter.

XVIII. Definitionem approbat historia creationis. Deus enim terræ substantiam condidit die primo, & huic ipsi citra additamentum partis, quæ terra esset, vim germinandi indidit die quinto. Gen. I. Vnde constat vim germinandi neq; substantiam esse terræ neq; partem substantiæ terræ, sed in terra esse mutabiliter.

XIX. Quia autem variæ sunt species accidentium, re  
vocamus præsentem vocis usum ad prædicamentum Quali  
tatis, & huius secundam speciem.

XX. Istius autē aliæ rursus sunt positivæ, aliæ priuatiæ.

XXI. Positivæ sunt omnes vires à Deo conditæ in substantijs, aut in eis natæ institutione Physica, seu beneficio naturæ, ut sint causæ certarum actionum.

XXII. Priuatiæ sunt impotentia aut absentia viri-  
um, quæ inesse poterant aut debebant institutione naturæ:

Deprauatio item & araxia reliquiarum, ex qua effectus si qui à subiecti qualitatibus positius & corruptis adhuc prodeant, vitium contrahant.

XXIII. Quod peccatum originis sit qualitas, & res positiva negamus.

XXIV. Quod idem sit adiutoria & seorsis horrenda, asseueramus.

XXV. Has duas theses hic confirmabimus, antequam muniamus sententiam de accidente, ne quis in genere hoc vel illud amplectetur, quod peccatum tamen non sit.

XXVI. Omnes vires positivæ habent authorem & creatorem D E V M. Psal. 146. Act. 14. D E V S fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Ioh. 1. Omnia per Nōn facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Act. 17. In ipso vivimus, mouemur & sumus.

XXVII. Sicut igitur rectè negauimus peccatum esse substantiam, ne D E V S eius creator sit: sic etiam rectè inficiamur, idem esse qualitatem vel vim positivam, cum vel hoc modo D E O authori deberetur.

XXVIII. Obseruauit hoc A u g u s t i n u s , ideo lib. II. de civitate D E I cap. 9. ait: Mali nulla est natura. Et ex Psalmo 40. ubi dicitur: Sana animam meam quia peccauit tibi, hanc vniuersalem colligit: Non est peccatum aliqua substantia:qua ait respondendum huic quæstiōni: Num peccatum sit substantia, res existentia, vel corpus? Lib. de natura & gratia contra Pelag. cap. 19.

XXIX. Et satis clara sunt haec lib. I. contra Julianum Pelagianum cap. 9. Nihil, inquit, est aliud malum nisi priuatio

tio boni. Agit autem ibi disertè de radice mali, ut appellat peccatum originis, & capite præcedente dixerat: Malum non esse aliquid.

XXX. Hæc, ait, doctrinæ Catholicæ sanitas est, qua Manichææ pestilentiae virus expellitur. Vnde ille Doctor meus, tui etiam mali Doctoris ore laudatus Ambrosius, in eo libro quem de Isaac & anima scripsit: Quid ergo est, inquit, malitia nisi boni indigentia? Non enim sunt mala, nisi quæ priuantur bonis, qua indigentia boni radix malitiae est lib. I. contra Julianum cap. Ultimo.

XXXI. Idcirco D. Melanthonem rectè censuisse credimus, dum in loco de cauſa Peccati sic scripsit: Hoc moneri studiosos utile est, quid propriè sit peccatum, ut discernantur res conditæ à Deo, & peccatum, quod est concubatio seu confusio ordinis diuini. Ideò recte dicitur: Peccatum est defectus siue priuatio. Et paulò post disertè inquit: Peccatum non est res positiva.

XXXII. Huc pertinet phrasis in scholis recepta. Peccatum est nihil.

XXXIII. Sed canillatio diluatur: Cum defectus nihil sit, id est, non sit res positiva (verba Melanthonis recentemus) cur irascitur DEVS nihilo?

XXXIV. Respondendum est: Magnum discrimin est inter nihil priuatuum & nihil negatiuum. Quia nihil priuatiuè intellectum requirit subiectum, & est in illo subiecto quædam destrucción, propter quam subiectum reiicitur.

XXXV. Etiam in actualibus peccatis, quorum appellatio videtur aliquid posituum polliceri, sic se res habet,

ut pec-



ut pecata sint non ipsi motus per se, qui sunt res positivæ, sed propriè defectus, qui non sunt malum positivum, sed bonitatis signos & priuatio.

XXXVI. Hoc à multis intricatum egregiè explicatur à D. Philippo, cùm inquit: Sed in actualibus quoq; facile est intelligere defectus, si intuearis non solum facta, sed mentem regentem facta. Eua comedens Pomum non regitur luce DEI. Illud non regi luce DEI, & voluntatem auersam esse, defectus esse non obscurū est, et si interim accedunt motus externi & interni, qui sunt res positivæ.

XXXVII. Concupiscentia sanè res est positiva, quao tenus appetitionem naturalem consideras, sed siue de originali siue de actuali peccato usurpetur, semper opus est distinctione inter id quod positivum est, & aratior, quæ proprie peccati rationem sustinet.

XXXVIII. Monemur de hoc ab ipsa lege, cùm concupiscentiam limitat additis repetitis & inculcatis illis, que illicite appetuntur. Non concupisces domum proximi tui. Non concupisces uxorem proximi tui, neq; seruum eius, nec ancillam eius, neq; bouem eius, neq; asinum eius, neq; quicquam proximi tui.

XXXIX. Vnde sunt circumspectæ phrases Apostolorum. Appellatur enim θηθυμία τῆς σωρός. Gal. 5. Ephes. 2. τῆς ανάτης. Ephes. 4. θηθυμία κακῆ. Col. 3. σαρκική I. Pet. 2. Et 2. Pet. 1. Φθορὴ εὐθηθυμία.

XL. Manichæi, et si malam concupiscentiam statuerunt, distinctionē tamē inter vim & motum naturalem atq; horum prauitatem sustulerunt, Pelagiani concupiscentiam totam

totam laudarunt, vitio planè negato, sed utrisq; se opposuit  
Augustinus, doctrinam nostræ confessionis afferens & de-  
fendens, tūm in alijs libris, tūm ex professo in ijs, quos de-  
nuptijs & concupiscentia scripsit ad Valerium.

**XLI.** Nec poterit alteruter errorum effugi, nisi quod  
priuatuum est in concupiscentia malum, & non quod positi-  
uum bonum est, peccatum dicamus, sive originale, sive  
actuale.

**XLII.** Cauendum tamen, ne priuatio in peccato origi-  
nali intelligatur amissio, sine distorsione & corruptione na-  
ture, quæ retiqua est.

**XLIII.** Est enim peccatum originis non solum ca-  
rentia iustitiae, sed etiam iniusticia in homine deprauans ome-  
nes reliquias creationis.

**XLIV.** Sed hæc ipsa iniusticia & prauitas in natu-  
ra hominis nibil est nisi priuatio, et si sit gradus atrocissimi.

**XLV.** Hoc respicieus Apologia Augustinæ confessio-  
nis citat dictum Thomæ: Peccatum originis habet priuatio-  
nem originalis iustitiae, & cum hac inordinata dispositio-  
nem partium animæ. Vnde non est priuatio pura, sed habitus  
quidam corruptus.

**XLVI.** Errant autem, qui putant hoc dicto stabiliri  
opinionem, quod peccatum originis sit respositua propriè-  
dicta.

**XLVII.** Quid enim est inordinata dispositio quām  
ārēgia? Et quid ārēgia quām defectus ordinis?

**XLVIII.** Quos appellatio habitus detinet, quò minus  
posituum mittant, bi expendant, quod habitus hic non pos-

**B** fit

sit accipi, ut in Dialecticis, ne peccatum originis imitatione  
contractum statuatur, sed pro inhärentia & duratione v-  
surpetur, quae tamen defectus sint, & positivam rem non  
constituant.

**XLIX.** Deinde quod Thomas habitum corruptum  
vel inordinatam dispositionem tanquam ~~orūōvūa~~ refert, aut  
si unum alterius consequens malis, et si Thomas velit, ne  
quit tamen plus inferre per consequens, quam per antece-  
dens instituerit.

**L.** Alij scholastici priuationem istam explicarunt hoc si-  
mili, veluti si de capite virginis dematur corolla, virgine  
in omnibus suis naturalibus integra. Hæc est pura priua-  
tio, quam negat Thomas, siquidem peccatum originis pri-  
uatio talis & tanta sit, qua præter amissionem ingentium  
bonorum horrenda corruptio inuaserit subiectum.

**LI.** Nec nostra est interpretatio de inhärentia & du-  
ratione non positivi mali propriè dicti, sed defectus, cum Apo-  
logia hanc subijciat inquiens: Sunt enim durabiles de-  
fectus in natura.

**LII.** Constat itaq; peccatum confessioni Augustanae non  
esse quiddam positivum, sed priuationem, et si hæc ingens sit,  
abominabilis, non fugax sed durans naturæ corruptio.

**LIII.** De priuationis tamen adhuc limitatione est opus,  
& commonefactione, et si illa ex mentione mali seu vitij in-  
telligi possit.

**LIII.** Ut enim priuationes vel ante perfectionem  
creatüræ fuerunt, veluti cum terra dicitur fuisse vasta &  
inanis, vel in integra natura ordinatæ sunt, ut tenebræ: ita

in secunda specie qualitatis non solum dantur elevamus sed etiam ad levitatem φυσικὴ, quae DEO debentur, vel creanti vel cessanti.

LV. Augustinus quoq; hunc defectum bonum vocat, qui  
est à malo in bonum In Psal. 118.

LVI. De hismodi Priuationibus hic non agimus,  
verum de tali, quæcum exordio peccati cœpit & peccati  
formam præbet.

*LVII. Nam mala, quæ per meā ēgītāōv Adæ intrárunt  
in mundum, discernenda sunt in malum culpæ & malum  
pœnæ.*

*LVIII. Quatenus priuatio quædam pœna DEI est,  
opus DEI negare non audemus. Esa. 45. Ego Dominus  
faciens pacem & creans malum. Amos. 3. Non est malum  
in ciuitate, quod non fecit Dominus.*

LIX. Quatenus culpa, **D E V S** eius autor & causa  
nunquam dicendus est: Deus enim non vult iniquitatē sed o-  
dit. Ps. 5. **D E I** perfectū est opus, & omnes viæ eius iudici-  
um, **D E V S** veritas, & non est iniqutias in eo, iustus &  
rectus est **D E V S**. Deut. 32.

L.X. *Et si autem corruptio secuta lapsu primorum parentum, in ipsis fuit tum Peccatum, quod circumtulerunt, & in posteros propagarunt, tum pena lapsus ipsorum, itaque utrumque in uno datur, diuerso tamen respectu ista sunt accipienda, nec forma peccati cum pena, quae est iustitiae opus, confundenda est.*

LXI. Augustinus lib. 5. contra Julian. Pelagian. cap. 3.  
multa exempla ex sacris commemorat, quæ conuentum  
¶

utendam utriusq; demonstrant, & simul conuincit lectorem multis, quod peccatum & pœna nihilominus realiter discrepent, & hæc sit sanctum DEI opus, illud malum, quod oderit Dominus.

LXII. Modum tamen conciliationis penitus exquisitè declarari posse diffidens, cum iudicia DEI sint abyssus multa. Psal. 35. sese ad modestiam, quam imitari decet, componit. Curauit, inquit Apostolus dicere, quanta pœna sit, à Deo tradi passionibus ignominiae, siue deserendo, siue alio quocunq; vel explicabili vel inexplicabili modo, quo facit hæc summè bonus & ineffabiliter iustus.

LXIII. Licet igitur in priuatione detestabili, quod peccatum originis est, etiam pœna DEI instissima concurrat, ut tamen reale est utriusq; discrimen, ita vicissim respectu pœnæ illam tantum priuationem hic intelligimus, quæ peccatum est propriè, quodq; accidens esse vitium nunc probabimus.

LXIV. Ut omne, sic in primis originale peccatum  
accipia est. I. Job. 3.

LXV. Accipia est priuatio seu carentia iusticie & sans  
ctitatis veræ, debitæ inesse hominibus. Psal. 14. 53. Rom. 3.  
Ephe. 4.

LXVI. Hæc non est substantia hominis, propter ra-  
tiones in præmissis disputationibus demonstratas.

LXVII. Quia tamen non est quiddam negatiuum,  
necessariò erit accidens, nisi insufficiens ista distinctio do-  
ceatur.

LXVIII. Nimis autem morosi sunt, qui nisi pro-  
posi-

positionis Theologicæ literas, syllabas & voces eadem combinatione & eodem contextu in sacris tabulis extantes videantur, nulla ratione, etiam aliâs re tota ex sacro codice probata, mouentur ad consensum.

LXIX. Qui porrò inde occasionem querunt hostiliter dissentendi, pertinaciter contra pugnandi, & miseretur bandi Ecclesiam, nœ illi iudicium auferent, quicunque fuerint. Gal. 5.

LXX. Accidens certè non adeò exosa vox est sacris literis, ut eam non recipiant, nec adeò tenuis significatio, ut de rebus grauiissimis Spiritus sanctus ea non utatur.

LXXI. Quid atrocius & formidabilius morte? & num hoc epitheto grauius ullum sacra scriptura inuenit peccato originis, quod est mors, hoc est priuatio vitæ spirituæ lis cœlestis? Gen. 2. Eph. 2.

LXXII. Mors verò etiam damnatorum accidens appellatur in sacris literis. Nam Ecclesiastæ. 2. dicit Salomon: Cognoui ergo, quod unum accidens sit sapienti & stulto. Ecclesiastæ 9. Accidens unum iusto & iniquo, bono & mundo & immundo, sacrificanti quoq; & ei qui non sacrificat, sicut bonus, sic qui peccat.

LXXIII. Hic mors impi, quæ peccato atrocissimo, originali nimirum etiam innumeris usq; fædissimis actibus aucto, ceutalione respondet, vocatur מִקְרָה & accidens, & genus hoc leuius ducetur peccato originis?

LXXIII. Eadem appellatio tribuitur pollutioni & immundicie. Deut. 23. Cum fuerit in te aliquis qui fuerit immundus מִקְרָה לִילָה accidente nocturno, seu pollutione

lutione nocturna, egrediatur extra castra, & non ingredia-  
tur in ea. Similiter accipitur. 1. Sam. 20.

LXXV. Imò peccato immanis pertinacie, quæ D E-  
VM ad sextuplam pœnam irritet, accommodatur. Leuit.  
23. Vbi sic inquit Dominus: Quod si per hæc non recipiatis  
doctrinam meam, sed ambulaueritis mecum בְּקָרִי in acci-  
dente, ambulabo & ego vobiscum בְּקָרִי in accidente, &  
puniam vos septies propter peccata vestra.

LXXVI. Insignis hic doctrina proponitur, quòd de-  
uiantes à voluntate D EI verseutur in accidente aduersan-  
te Legi, qua avouia D EV S offensus nolit vicissim tunc  
proprium exercere opus benignitatis, sed iram suam effun-  
dendo quasi opere accidentalí vlcisci peccatum hominum.

LXXVII. Sic enim repetendo inculcat & declarat  
sententiam Dominus: Si ambulaueritis mecum in acciden-  
te, ambulabo & ego vicissim in ira accidentis, & corripiam  
vos etiam ego septies propter peccata vestra.

LXXVIII. Eandem sententiam de Domini opere  
בְּקָרִי Apologia Augustinæ confessionis in loco de pæni-  
tentia ex 28. Esiae sic docet: Terrere opus D EI alienum  
vocatur, quia D EI opus proprium est viuificare & con-  
solari.

LXXIX. Hæc testimonia sunt grauissima, sed  
quibusdam fortè ideo non satisfacent, quod apertius de  
actuali, quam de originali peccato pronuncient.

LXXX. Hitamen norint, etiam constante ista ex-  
ceptione nos hoc lucrari, quod vocabulum Accidens etiam  
in Dei verbo extet, & usurpetur de peccato actuali maxime

mē

me execribili, imo de morte impiorum, qua peccatum vehementer terrible reddatur, cum Psal. 34. dicatur: Intermet impium malitia. Illam ipsam mortem iustitiae regula non patitur tenuorem aestimari ipso peccato originali, ut sic obturentur ora vociferantium; Vocem istam, ut Philosophicam dedecere Theologicum, & esse genus rerum leuisularum.

LXXXI. Sed non istud tantum obtinuimus, si spe ciérum cum genere cognationem obseruauerimus.

LXXXII. Quid enim discessus à lege DEI aliud est, quam àropia?

LXXXIII. An non peccatum originale & actuale species sunt unius generis, & àropia utrumq.

LXXXIII. Hæc verò àropia dicitur accidentis in sacra scriptura testibus sententijs prædictis.

LXXXV. Ergo per sacram istam scripturam etiam peccato originis defertur hoc genus, quod sit accidentis.

LXXXVI. Quid quod de peccato originis disertè accidens prædicetur Ecclesiastæ cap. 9. Vbi sic legimus, Hoc malum est inter omnes, quæ sub sole fiunt, quod accidentis unum est omnibus. Et cor filiorum Adam plenum est malitia, & miseriae in corde eorum in vita sua, & post hoc ad mortuos.

LXXXVII. Satis clarè affirmatur unum esse accidentis omnibus hominibus, quia omnes nativitate ex parente Adam cor habeant plenum malitia & insania, quod certè est originales peccatum.

LXXXVIII. Post hæc certa est demonstratio ad regulam

gulam probatissimam confecta: Cui competit definitio, eidem  
competit definitum.

LXXXIX. Manifestum enim est ex scriptura sancta, quod Peccatum originis non sit substantia, neque pars substantiae hominis, sed in hoc insit mutabiliter.

XCI. Homo totus, & omnibus partibus substantiae perfectus fuit, cum nondum esset peccatum. Gen. I. & 2.

XCI. Nec fuit peccatum hominis originale, antequam inesset homini, quemadmodum veteres Manichaei mentiti sunt, sed cum accideret homini principium habuit.

XCII. Hoc olim Basilius vrsit Manichaeos in lib. quem aduersus ipsos scripsit, citante Augustino lib. I. contra Iulia. Pelag. cap 5. Malum ait non esse substantiam sed coniunctionem ex accidente venientem. Item: Accessit, & principium accessionis non substantiam habuit sed voluntatem.

XCIII. Idem probat & peccato originis ita accommodat Augustinus: Ista ita recte dixit S. Basilius, ut etiam de ipso malo, quod per Adam intravit in mundum, & quod omnes homines pertransiit, bene possit intelligi, quia & ipsum accessit naturae humanae. Non enim sic est primitus condita, & principium accessionis non substantiam habuit, sed voluntatem sive mulieris, quae a serpente seducta est, sive viri eius, qui seductae ad peccandum consensit uxori.

XCIV. Cum etiam accessisset peccatum, substantia hominis tota mansit in primis parentibus. Gen. 3. Dominus hominem lapsum vocans ait: Adam ubi es? Qui similiter de Eva sua loquens inquit: Mulier quam dedisti mibi sociam, ipsa dedit mihi de arbore ista, & comedi. Cum autem Eva porro

porrigerebat sanguinem Adæ, iam tunc ipsa ederat & corrupta erat.

**XCV.** Mansit quoque substantia à Deo creata in posteris Adæ. Gen. 6. Delebo hominem, quem creaui de facie terræ. Gen. 7. Delebo omnem substantiam, quam feci de superficie terræ.

**XCVI.** Nequaquam igitur facta est transubstantiatio per peccatum, vnde vel tota substantia vel pars substantiæ hominis extiterit peccatum, & sic propriè dici possit ipsum.

**XCVII.** Quamobrem & sic constat, quod peccatum originale hominis non sit substantia, nec pars substantiæ hominis.

**XCVIII.** Manifestum quoque fit ex prædictis, quod peccatum originis sit in alio, hoc est, in homine, & quod peccatum originis & homo ipse discerni debeant tanquam aliud & aliud.

**XCVIX.** Non aliud est peccati huius esse, quam ex inesse, siquidem non fuerit antequam inesse cœperit, nec vt substantia vel per essentialem transmutationem accesserit aut extiterit.

**C.** In hanc sententiam Augustinus docet de vera innocencia. num. 296. Non potest esse ullum malum, nisi in aliquo bono, quia non potest esse, nisi in aliqua natura.

**CI.** Et Paulus de peccato suo conquerens ait: οὐδὲν γὰρ εἴποι ἀμαρτία. Rom. 7. ut eius esse ex inesse ostenderet.

**CII.** Ut verò non fuit hoc peccatum, antequam inesset, ita etiam extersum nihil negatum, & sic nullibi futurum est.

CIII. Testatur hoc Apostolus. 1. Cor. 15. Tunc fiet illud,  
quod scriptum est: Absorpta est mors ad victoriam. Vbi tua  
est mors Victoria? Vbi tuus o mors aculeus? Aculeus autem  
mortis peccatum est.

CIV. Rursus igitur recte Augustinus de Vera innocentia. num. 144. Sola ergo bona esse alicui possunt, sola autem  
mala nunquam.

CV. Quietiam lib. 2. contra Julianum Pelagianum citat hanc  
Ambrosij sententiam. Non a nobis haec vitia separata alicubi  
alibi erunt, sed in nobis sanata nusquam erunt.

CVI. Non minus constat, quod mutabiliter insit pecca-  
tum, hoc est a substantia hominis sit separabile.

CVII. Definitio enim de , ut in scholis loqui-  
mur, intellecta, universaliter vera est, quod nimis omnia  
accidentia sint separabilia, et si quoad actum quendam agno-  
cantur inseparabilia.

CVIII. Sicut autem D. Melanthon hanc partem defi-  
nitionis inde aestimare iubet, quod licet nullae substantiae cre-  
atæ omnia accidentia exuant, tamen pleræque subinde alia ab-  
iijciant, alia assumant.

CIX. Sic parata est nobis de peccato originis eadem pro-  
batio. Fuit enim homo, quando non fuit peccatum. Gen. 1.  
Et Christus verus homo fuit per omnia similis nobis. Heb. 2.  
abq; peccato Heb. 4. Et in resurrectione hoc ipsum corrup-  
tibile induet incorruptionem 1. Cor. 15.

CX. Et quidem tota substantia hominis, nulla eius parte  
in nihilum redacta, saluabitur. Ioh. 19. In nouissimo die de  
terra surrecturus sum, et rursus circundabor pelle mea, et in  
carne:

carne mea videbo Dominum, quem ego visurus sum mihi, &  
oculi mei conspecturi sunt, & non aliis. 1. Thes. 5. ipse au-  
tem D E V S pacis sanctificet vos totos, & integer uester  
spiritus, & anima & corpus inculpatè in aduentum Domini  
nostrí Iesu Christi seruentur.

CXI. Extat sententia Basilij apud Augustinum lib. 1.  
contra Iul. Pel. cap. 5. qua peccatum originis separabile fa-  
tetur.

CXII. Quia autem dixerat, facile istud separari posse,  
Augustinus dictum Basilij sic reddit a 246. Facile posse  
malum à substantia separari, non humanæ facile est voluntati,  
sed misericordiae D E I, quod aduersus Manichæos utiq;  
sufficit.

CXIII. Ac ne vim videatur afferre Basilij verbis, hanc  
mentem autoris probat inquiens: Ideò non ait Basilius ipsam  
voluntatem hominis siue substantiam vel naturam malum à  
se posse facile separare, sed ab ea posse facile separari, sic ver-  
bas sua librans, vt & Manichæos, contra quos agebat, refel-  
leret, & contra diuinam gratiam humanam superbiam non  
attolleret.

CXIII. Sic Dominus Lutherus peccatum originis ap-  
pellavit separabile malum, cum in caput. 38. Gen. commen-  
tans sic ait. Nos qui sumus circumdati carne peccati, cri-  
mus & speramus futurum, vt in die redemptionis nostræ ea  
purgentur, & separentur ab omnibus infirmitatibus, morte  
& ignomia. Sunt enim peccatum & mors separabilia mala.  
Idem ibidem vocat carnem separandam & purgandam à  
peccato.

**CXV.** *Et isto non obstante agnoscimus tamen euāēis et  
āuagīas, tenaciter inherens peccatum. Heb. 12.*

**CXVI.** *Cum itaq; omnes partes definitionis Accidentis  
perspicua affirmatione sacrarum literarum tribuantur pec-  
cato originis, haud sanē mentis erit, qui sic non conuincatur,  
vt peccatum originis Accidens esse permittat.*

**CXVII.** *Flacius quoq; constanter fatetur actualia pec-  
cata esse accidentia.*

**CXVIII.** *Atqui ista cum originali ad vnum genus col-  
liguntur.*

**CXIX.** *Generis itaq; ratione de malo originis idem nos  
men usurpari necesse est, sicut etiam supra de āvōīā monui-  
mus, quam scriptura accidens appellat, & quatenus forma  
āvōīā consideratur, non aliter originali, quam actuali pec-  
cato attribuit.*

**CXX.** *De appellationibus notissimis, vt sunt priuatio,  
defectus, carentia, corruptio, & similibus, quæ singulæ sine  
gula argumenta præberent, repetimus hic ea, quæ supra de  
accidentibus priuatiis dicta sunt.*

**CXXI.** *Nec vlla priuatio potest esse substantia, qua-  
cunq; etiam ratione facta sit.*

**CXXII.** *Nam & tum, cum aliquid substantia priuatur,  
sep̄ nos vt substantia non existit, nec vlla eius species dari po-  
test, quæ non sit aut nihil negantium, aut nihil priuatiuum.*

**CXXIII.** *Ideò nemo sanus substantiæ contrarium, qua-  
tenus substantia respicitur, vñquam agnouit.*

**CXXIII.**

CXXIII. Magni simul ponderis est dictum Pauli. Rom.

7. émoi τὸ κανὸν παρέγνων.

CXXV. Hoc enim aestimetur librante aduersario Flacio, qui sentiens vim sermonis Paulini in Breui sua censura. B. I. ait, Paulo hic malum tantum significare actualia peccata, quae ipse fateatur esse accidentia.

CXXVI. Hoc testimonio, largiente τὸ παρέγνων accidētium in loco Pauli, quid clarius? Et quia ab aduersario de ipso neruo litis perhibetur, quid grauius?

CXXVII. Quod si ibidem de peccato originis dici constiterit suffragio Illyrici, constabit quod Paulo peccatum originis sit accidens.

CXXVIII Illud vero affirmat Flacius, cum in tractatu libellis Prospere adiuncto F. VII. scribit Apostolum in citato loco potissimum agere de peccato originali. Idem defendit Flacius in disputatione sua Ienensi. pag. 9.

CXXIX Sed euincamus hoc rationibus textu Apostolico nitentibus. Paulus disertè peccatum in se inhabitans definit esse actualium originem. Non ego, inquit, operor, sed inhabitans in me peccatum.

CXXX. Et qui dicit non se sed peccatum originis esse mali causam, palam distinguit inter se et peccatum.

CXXXI. Habitat, inquit Hieronymus, quasi hospes, & quasi aliud in alio, non quasi unum.

CXXXII. Quid porrò aliud dicit, cum peccatum sibi adiacere ait, et ab hoc se liberatumiri sperat, quam quod distinguat inter se et peccatum suum.

CXXXIII. Natura autem hominis malitiam capit non

partie

participatione mali, sed priuatione boni, id est, non commisceretur alij naturæ, quæ aliquod malum est, quod Manichæi docuerunt, & Augustinus damnauit, recteque damnatum pronunciat Flacius in Defens. Pag. 90.

CXXXIII. Vnde nec Apostolus dixit, peccatum sibi ut peculiarem substantiam adiacere, ne error Manichaicus sit Apostolicus.

CXXXV. Restat ergo, ut peccatum originis tanquam accidens homini adiaceat, cum Flacius ipse decernat: Peccatum originis aut substantiam esse aut accidens, nullumque tertium. Nosce te ipsum. Pag. 182.

CXXXVI. Idem docent hæ sacræ scripturæ phrasés, concipiet nasci in peccatis Psal. 51. peccatum in mundum introisse. Rom. 5. Si enim vitanda est Manichaica sententia, quod substantia hominis malo ut peculiari substantiæ non fuerit mixta, quæ tamen infecta & corrupta est peccato introeunte, tam necessario statuendum est, accessisse peccatum ut accidens vitium, quam necessariò statuit Flacius, quæ thesi 133. & 135. citavimus, & tanquam eximia momenta ab utraq. disputantium parte accepta notanda monemus.

CXXXVII. Sic ad Heb: 12. peccatum originis appellatur εὐωδία παραγνα, tenaciter inhærens peccatum, quod tandem iubetur deponi.

CXXXVIII. Et David Psal 51. precatur sibi misericordiam, peccatum vero etsi sibi concepto & nato inhæserit, deleri petit. Idem rogat lauari à peccatis et mundari, quæ Phrasis sacris literis est frequentissima.

CXXXIX. Ex his constat distinctio substantie hominis  
& peccati

¶ peccati, et si hoc tenacissimè in illa inhæret: Realis item  
utriusq; separatio, & quidem homine sua substantia per mi-  
sericordiam DEI salvo & incolumi. Nec licet distinctionem  
istam, quasi inter substantiam & substantiam detur, intellie-  
gere. Peccatum igitur ut accidens inhæret, deponitur, exo-  
purgatur, deletur.

CXL. Nec effugit, qui distinctione hominis renati &  
non renati, quam non negamus, querit diuersitatē iudicij de-  
peccati propria natura, quae vna est.

CXLI. David enim dudum renatus fuerat, cum fundeo-  
ret orationem Psalimi 51. & tamen illud ipsum peccatum de-  
plorat, quod in conceptione acquisiuerat, ne relapsus nouum  
peccatum originis contraxisse, aut post regenerationē aliam,  
quam innati vitiū formam agnoscere putetur.

CXLII. In renato peccatum sublatum est, non ut non sit,  
sed ut non imputetur, verè statuit Augustinus. Manet igit-  
tur peccatum in renato quod fuit antea.

CXLIII. Ac licet in renato in seruitutem spiritus rediga-  
tur, magisq; gradu deficiat quotidiana renouatione, tamen  
neutra conditio in superstite generis naturam permutabit.

CXLIII. Huc facit, quod Tertullianus lib: de resur-  
rectione carnis inquit: *Vetustatem & nouitatem hominis ad  
moralem, non ad substantialem differentiam pertinere de-  
fendimus.*

CXLV. Reluctatur tamen adhuc Manicheus, illud præ-  
tendens, quod peccatum dicitur vivere, agere, militare, reg-  
nare.

CXLVI.

**CXLVI.** Sed prosopopæia est, quam etiam in datis exemplis professus est Illyricus 2. parte Cl. fol: 360.

**CXLVII.** Dicitur autem peccatum operari non per se, sed propter subiectum viuum & operans, in quo peccatum inhabitat, quem sensum Apostolus edit inquiens. Habitans in me peccatum operatur. Rom. 7.

**CXLVIII.** Rectè dicimus, impios sermones esse fructus peccati originis, & tamen peccatum non loquitur. Humana loquela (inquit Dominus Lutherus in 23. cap: Gen. pag: 218.) est creatura DEI, licet per peccatum originis vitiata. Aliud igitur est loqui, aliud impia & vana loqui. Loquela est hominis ex beneficio creationis DEI, impietas est peccati, quæ fructui naturæ inhæret, sicut naturæ peccatum originis inhæret.

**CXLIX.** Quod attinet ad extenuationem peccati, quam ex voce accidentis ut necessarium consequens perpetuò occurrant Manichæi recentes, ad id responsum est supra.

**CL.** Adde autem mortem Christi, quæ certè est augustissima, nulloq; modo extenuanda, cum per hanc abolitus sit Satanus, qui mortis habebat imperium. Heb. 2.

**CLI.** Et tamen mors illa, quatenus mors fuit, verè humana fuit. Christus enim tentatus in omnibus fuit similiter nobis absq; peccato. Heb. 4. Et Christus mortificatus carne dicitur. 1. Pet. 3.

**CLII.** Mors autem humana accidens dicitur Salomonis, nec quisquam sanorum mortem substantiam Christi esse solum niauit. Nemo deniq; piorum mortem Christi propterea extenuat, quia non faciat eam Christi substantiam.

**CLIII.**

**DLIII.** Flacius quoquam sic argumentatur. Si conceditur peccatū originis esse Accidens, sequetur substantialia verba, quae scriptura de peccato usurpat, esse meras & ineptissimas hyperbolas. Demonst. pag. 353.

**CLIII.** Sed non est necessarium, ut data hyperbole deneretur ineptiæ.

**CLV.** Lutherus contra Latomum scribens hyperbolē ait in sacra scriptura frequenter reperiri, qui tamen ineptias spiritui sancto non tribuit.

**CLVI.** Et Flacius in 2. parte Cl. pag 354. sic scripsit: Cor lapideum, adamantinum, ceruix ferrea, frons ænea esse epitheta, habentia hyperbolē & metaphoram.

**CLVII.** Vnum adhuc est, quod multos pios, antequam rectè informarentur, turbauit, ita scilicet obiectum: Accidentis de peccato originis assertio Pelagianorum erroris facta, quos Ecclesia Christi hæreticos declarauit, nec potest resisti istius hæresis reliquijs, nisi fiat, quod Lutherus & alij in Pontificijs & Synergistis refutandis fecerunt, nempe ut explodatur propositio: Peccatum originis esse accidens vel qualitatem.

**CLVIII.** Grauissimam audimus rationem, qua piorum animi meritò mouerentur, nisi & malè applicaretur, & narrationem assumeret avisoꝝ r̄v.

**CLIX.** Desideratur enim consequentia, qua probetur Pelagianus, qui peccatum originis faciat accidens.

**CLX.** Nec ullibi legitur, quod Ecclesia Christi inter Pelagianorum errores retulerit, quod dixerint: Peccatum originis esse accidens vitium.

D

**CLXI.**

**CLXI.** Imò qui peccatum originis planè negārunt, cum  
nihil tale ab Adamo propagatum, sola autem imitatione  
contracta vitia concesserint, quomodo hi potuerunt eius erro-  
ris damnari, quod peccatum originis dixerint esse accidens?

**CLXII.** Hoc autem refert Augustinus, quod ob hoc  
ipsum, quod concupiscentiam accidens vitium negārint, &  
Manichæi & Pelagiani damnati fuerint. Sic enim scribit  
contra duas Epistolas Pelag. ad Bonifacium lib. 2. cap. 2.  
Manichæi carnis concupiscentiam non tanquam accidens vi-  
tium, sed tanquam naturam ab æternitate malam vitupe-  
rant. Pelagiani eam tanquam nullum vitium, sed naturale  
sit bonum, insuper laudant. Catholica utrosq. redarguit, Ma-  
nichæis dicens: Non natura sed vitium est Pelagianis di-  
cens: Non à patre sed ex mundo est, vt eam velut malam  
valetudinem sanari utriq. permittant, dessinendo illi tanquam  
insanabilem credere, isti tanquam laudabilem prædicare.

**CLXIII.** Etsi autem Semipelagiani, quales adhuc fouet  
Romana Ecclesia, peccatum originis fatentur, idq. accidens  
appellant, tamen ab Orthodoxis hoc ipsum minimè culpatum,  
nec ab Ecclesia Catholica reiectum est.

**CLXIII.** Nec Augustinus, qui sentinam Pelagianam  
totam suis scriptis exhausit, vñquam tentauit negationem  
istius, quod peccatum originis sit accidens, sed affirmationem  
eius disertam edidit, & constanter retinuit.

**CLXV.** Denuptijs & concupiscentia ad Valerium lib. 1.  
cap: 17. sic scribit. Carnalis concupiscentia non est ex natu-  
rali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens  
malum..

**CLXVI.**

**CLXVI.** Lib. 4. hypognost. Libido est in hominibus per peccatum primorum parentum accidens malum.

**CLXVII.** Lib. 3. cap. 9 contra duas epistolas Pelagianorum Homo dum nascitur, quia bonum aliquid est, in quantum homo est, Manicheum redarguit, laudatq; creatorem. In quantum verò trahit originale peccatum Pelagium redarguit, & habet necessarium Salvatorem. Et mox. Concupiscentia carnis nostrae naturae est accidens vitium.

**CLXVIII.** Sæpe etiam Augustinus sui præceptoris Ambrosij consensum allegat, cuius hæc est confessio lib. I. de vocatione gentium cap. 3. A Diabolo cum homo spoliaretur non voluntate, sed voluntatis sanitatem priuatus est, quia nec destrudi ab innocentiae statu posset, nisi voluntate peccaret. Quia ergo natura erat bona, qualitate facta est mala. Item lib. I. Hexam : cap: 8. Non substantialis sed accidens est malitia, quæ à naturæ bonitate deflexit.

**CLXIX.** Ut verò nullum extat testimonium Orthodoxæ vetustatis, quod ad euitandum Pelagianismum sit fugienda hæc definitio: Peccatum originis est accidens vitium: ita nullus locus in Lutheri aut fidelium ipsius Collegarum scriptis ostendi potest, in quo negatum sit, peccatum originis esse accidens vel qualitatem.

**CLXX.** Hoc autem culpatum est & merito, quod leuens qualitatem fecerint & Pontificij & Synergistarum.

**CLXXI.** Sic enim de hoc controversiae statu Apologia confessionis Augustinæ habet. Quis non videt, quam præpostere sentiant aduersarij? Leuiores morbos in natura hominis agnoscunt, grauiores morbos non agnoscunt, de quibus tamen ubiq; admonet scriptura.

**CLXXII.** Nec Lutherus, qui Pontificiam & Erasmiā  
anam synergiam planè prostravit, veritus est peccatum originis  
fateri qualitatem, modo atrox intelligatur. Sic enim  
habet in Psal: 90: Siue qualitatem siue morbum vocauerimus  
peccatum originis, profecto extreum malum est.

**CLXXIII.** Flacius quoq, et si multa ex scriptis Domini  
Philippi colligit, quæ improbanit, tamen etiam tum, cum alio  
quot annos contra Synergiam certasset, nequaquam hoc in  
ipso reprehendit, quod peccatum originis statuerit esse  
accidens.

**CLXXIII.** Imo cùm concertatio de libero arbitrio  
cū auxiliū versaretur, paulò ante celebrem disputationem Venerariensem Ienæ tractatum edidit de peccato originis, in quo,  
et si iam tum ita duriter loquatur, ut opinione de veneno posse  
tuo Manichaeismum sapiat, peccatum tamen originis qualis  
tatem appellauit, quem locum postea in recuso libello, ex  
puncto Qualitatis nomine, mutauit, itaq, indicium præbuit, se  
nouo spiritu afflari:

**CLXXV.** Quæ deniq Euangelicarū Ecclesiarum hac in  
parte doctrina fuerit, antequam Flacius eas nouo dogmate  
inficeret, clavis scripturæ, ab ipso magna ex parte ante immo-  
nationem conscripta, multis in locis testatur, id quod hic uno  
atq altero testimonio notasse operæ pretium erit.

**CLXXVI.** In 2. parte Cl. fol. 199. Aliquando nomen  
significans Accidens iungunt Hebrei subiecto seu substantiæ  
per præpositionem Beth In. Ut Psal. II. Ecce in iniquitate  
formatus sum, & in peccatis concepit me mater mea, id est,  
ecce iniquus formatus sum, & peccatorem concepit me ma-  
ter mea.

**CLXXVII.**

**CLXXVII.** *Hic verò locus Psalmi sedes est doctrinæ de peccato originis, qui cum substantia hominis à peccato originis manifestò distinguat, & iniquitas atq; peccatum Illyrico ibidem sint accidentia, nostram certè affirmatiuam plurimum munit.*

**CLXXVIII.** *In 2. parte Cl. fol. 245. In constructione aliquando alia voces copulantur cum substantia, cum deberent copulari cum accidente. Iohan. 5. Noni vos, quod charitatem non habeatis. Coniungit (nosse) cum substantia (vos) cum pertineat ad accidens, nempe habere aut non habere charitatem. Hæc rursus Flacius.*

**CLXXIX.** *Hic verò quatuor tradit Flacius, quæ alibi studio defendendi nouam suam opinionem negat. i. Distinctio nem inter substantiam hominis & peccatum in ipsa substantia esse veram.*

**CLXXX.** *Secundò: Pronomina Ego & Tu in huiusmodi constructione denotare substantiam hominis.*

**CLXXXI.** *Tertio: iusticiam originalem & peccatum originale utraq; esse accidentia distingueda à subiecto seu substantia. Sicut enim non habere charitatem ipsa est peccati originalis forma: ita habitus huic priuationi oppositus erit iustitia originalis, et si de renouatis etiam motibus usurpetur.*

**CLXXXII.** *Quartò: Licet scriptura loquens de peccato ad substantiam se conuertat, in vera tamen interpretatione, cum queritur quid sit peccatum, non substantiam sed accidens accipendum esse, id quod bene notetur, contra substantiam alium verborum abusum toties repetitum à Flacio.*

D  
3

**CLXXXIII.**



CLXXXIII. 2. parte Cl. fol. 246. Esiae. I. Si peccata  
vestra erunt sicut Coccinum, sicut nix albescere: id est, si vos  
ob peccata rubebitis vel maculati eritis, laubimini & deal-  
babimini a me sanguine Meschiæ supra niuem. Tribuitur id  
accidenti, quod conuenit subiecto seu substantiæ. Et hæc  
Flacius.

CLXXXIII. Quid igitur desideramus perperam dis-  
putantem, quem habemus tam in genuè confitentem, quod nos  
affirmamus?

CLXXXV. Iesus Christus Filius Dei illuminet suo  
sancto spiritu cœcorum mentes, nec patiatur lucem, quæ nobis  
ipsius beneficio accensa est, & ab ipso solo fouetur & ange-  
tur, extingui, sed perpetuò eam alat, & magis magisq; ex-  
uscitet, ad nominis sui gloriam, nostramq; æternam salu-  
tem. Amen.

FINIS.

MEZZO.D





AB 61 430

ULB Halle

002 694 131

3




SK



**Farbkarte #13**

B.I.G.



8. 23

DISPV TATIO V.  
**DE PECCATO**  
ORIGINIS,

*Quod, a spice Christo,*

PRAESIDE DANIELE HOF-  
MANNO D. M. HENRICVS BOE-  
thius Hebrææ linguæ professor,  
responsurus pro consequenda  
licentia in Theologia

Probabit esse Accidens vitium,

22. Martij.

A. 1586.



Helmstadij Excusa per Iacobum Lucium.

8